UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

R. mo Et Ill. mo D. D. Vvolfgango Mogvnt. Eccl. Archiepiscopo. S. Rom. Imperij per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, Domino suo clementissimo Collegivm Societatis Iesv perpetuam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-59868

Visual Library

R.^{mo} ET ILL.^{mo}
D. D. VVOLFGANGO MOGVNT. ECCL. ARCHIEPISCOPO. S. ROM. IMPErij per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, Domino ſuo clementiſſimo COLLEGIVM Societatis IESV perpetuam fœlicitatem precatur.

MITTIMVS *ad Illuſtriß. Celſ. T. piarum commentationum, libellum, mole paruum, virtute magnum, peregrino idiomate primum conſcriptum, nunc Latino à nobis expreſſum, vt qui erat vtilis & ſalutaris omnibus, legeretur & intelligeretur ab omnibus: non quod in tanto optimorum librorum aceruo deſint, vnde pia meditandi mate-*

ria hauriri poſſit, ſed quia, vt, horti nobiles, non patrij tantum ſoli ſtirpibus, ſed etiam exoticis, ſi arte & induſtria natiui fiant, exornantur; Sic Chriſtianæ pietatis paradiſus, nō noſtris modo, ſed externis quoque ſcriptis, ſi induſtria Latinæ vel vulgaris verſionis acceſſerit, mirificè excolatur. Quo nos hanc induſtriam in præſenti opere præſtaremus, non vna cauſa fuit: Auctor nimirū erat de Societate noſtra, à virtute, & doctrina notus: libellus erat ad omne genus hominum informandum accommodatus, cōcionatoribus æquè ac auditoribus vtilis, & iam extremam eius partem, quæ eſt de Paſſione Domini cum magna piorum approbatione, alias conuerteramus. Cur verò has primas Meditationes partib. duab.

comprehēſas Reueren. & Illuſt. C.T. dedicare auderemus, fecit non opuſculi dignitas, ſed amoliendæ ingrati animi notæ mera neceſsitas. Nota enim in vulgus eſt, tua in nos, Præſule, & Principe digna, munificentia & liberalitas. Res ipſa loquitur. Domicilium hoc ipſo anno in conſpectu vrbis honeſtiſsimum, literarumq́; ſtudijs opportuniſsimum, magna impenſa nobis conſtruxiſti, & ad faſtigium perduxiſti, alijſq́; beneficijs, compluribus retro annis, quibus ad clauum Eccleſiæ Moguntinæ feliciter ſedes, cumulaſti. Cùm ergò facultate remunerandi tantam beneuolentiam deficiamur, quid minùs facere poteramus, quàm huius libelli miſsione, cuius altera pars mox inſequetur, quaſi ſymbolo gratæ ſaltem volūtatis pro-

penſionem teſtari, ſimulq́, aßiduas preces noſtras, licèt indignas ſtudia, officiaq; noſtra Illuſtriß. Celſ. T. humilime offerre, Deumq; Opt. M. obſecrare, ut eam Eccleſiæ Catholicæ, Romano Imperio, ſcolisq; noſtris quàm diutißimè ſoſpitem, ſaluamq; ſeruare velit? MOGVNTIAE

Kal. AVGVSTI

Anno 1597.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN